



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XXXVII. Romana fideicommissi de Ursinis. De eadem materia
concursum fœminarum cum masculis ordine successivo vel simultaneo, Et
ubi per statutum successio solis masculis delata est exclusis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

ordine primogenituræ in descendencia masculina ordinavit in ejus antiqua domo ac viridario, nec non eundem hæredem gravavit ad applicandum 300. loca montium sancti Georgii, quæ ibi *comperere* nuncupantur, in multiplicum sub ipsius testatoris columna usque quo pervenerint ad loca bis mille, ad quorum fructus post dictum multiplicum completum tanquam per speciem etiam fideicommissi particularis vocavit dictum Antonium ejusque successores, undè completo multiplico post mortem dicti Antonii, ex quo fuerunt superstites filii masculi ac feminae, orta est dubitatio quibus dictum fideicommissum particulare conveniret.

Et cum præsupposito, quod ipsimet Antonio, stante statuto illius Civitatis lib. 5. cap. 23. feminarum exclusivo, soli masculi successerint, pro istis respondendum censui; Licet enim verbum seu vocabulum *successores*, in latiori significatione aptum convenire omnibus etiam extraneis, ubi ex facti qualitate restringendum sit ad illos sanguinis tantum ex iis quæ habentur collecta apud *Fusar. quæst. 339.* remaneat quoque generale, & complexivum tam masculorum quam feminarum, seu agnatorum & cognatorum; Attamen ubi adest statutum exclusivum feminarum, ob quod casus præbeat gravato in reliqua hereditate succedere solos masculos tunc, non refragante testatoris voluntate, idem dicendum est in successione fideicommissaria, quoniam receptum est testatorem censeri cum tali ordine disposuisse, statuto se conformando, juxta receptam *theor. Bar. in leg. hæredes mei §. cum ita ff. ad Trebell.* quam sequuntur communiter scribentes relati per *Fu. ar. quæst. 407. num. 62.* & dixit sapius *Rota præsertim decis. 508. num. 4. par. 4. divers. decis. 317. num. 16. par. 5. recent. apud Dutan. decisione 126. num. 25. cum seq. & in aliis;* Et ex qua ratione idem pluries respondi pro veritate consultus in diversis causis præsertim in una *Parmen. fideicommissi de Tabliferis*, & in aliis quas utpotè particulares circumstantias non habentes, sed cadentes simpliciter sub dicta regula non censui particulari adnotatione dignas.

Et quamvis in *Romana fideicommissi de Vrsinis* discurs. sequenti, non obstante statuto Urbis contrarium ad favorem feminarum habeatur, attamen id in eo casu provenit quia concurrebat expressa vocatio masculorum ac feminarum, undè propterea, nè illa remaneret omnino fatua & otiosa, videtur, quod feminarum vocatio censetur ordine successivo, ac subsidiariè post defectos masculos, quibus extantibus concursum prætereundum non valeant; Atque cum hac distinctione responderi solet auctoritatibus, quæ urgent contra feminas, ne vocatae censentur ad fideicommissa agnataria, quod scilicet id intelligitur donec extant masculi, & in eorum concursu, secus autem eis defectis, ex iis quæ cæteris plenè relatis ita distinguendo habentur apud *Rotam decis. 133. par. 9. recent. num. 6. cum seqq. & per tot. sap. us in aliis canonizata.*

Etque magis in hac facti specie pro masculis respondendum censui, quoniam non solum urgebat præsumptio resultatans ex Statuto ut supra, sed etiam altera ex dicto fideicommissi particulari cum ordine primogenituræ ordinato ad favorem descendentium masculorum tantum, cum una pars testamenti aliam declaret; Ac etiam quia feminis incongrua videtur hujusmodi annuarum præstationum participatio, ex nimium commendabilibus illius Civitatis moribus introducta pro con-

servando decore familiarum, cum feminae provideri soleant cum dote, quæ in specie vel quantitate unica vice præstanda est in sorte, Ac etiam ponderando magis communem dictæ Civitatis usum super hujusmodi distributionibus, de quibus etiam *suprà disc. 3.* ita quoque remanentibus feminis provisio, quando cessantibus aliis bonis liberis eorum quibus dotationis onus prius incumbit, intret subsidiarium remedium *auth. res que C. commun. de legat.* de cætero enim principale intentum videtur prospicere decori agnationis & familiae.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE VRSINIS.

PRO

CREDITORIBUS HENRICI
&
FRANCISCI DE VRSINIS.

CVM

ISABELLA etiam DE VRSINIS.

Casus decisus per Rotam pro Isabella.

De eadem materia concursus feminarum cum masculis ordine successivo vel simultaneo, Et ubi per statutum successio solis masculis delata est exclusis feminis seu aliis ex testatoris voluntate intrat masculorum prælatio, An masculis defectis, feminae succedant in totum, vel solum in portione in qua successissent si fuissent masculi tanquam per speciem reintegrationis.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 **R**esolutiones causa.
- 3 **Q**uod fideicommissum fieri possit per contractum.
- 4 **A**mple legitimari per Principis rescriptum, in omnibus habentur pro legitimis veris, & quando intret difficultas.
- 5 **Q**uando aliquod onus censetur adjectum, tanquam conditio, vel tanquam modus, & de effectibus ex una, vel altera specie resultantibus.
- 6 **D**e feminis per statutum à masculis exclusis, an ad earum portionem defectis masculis, reintegrentur.
- 7 **V**ocatis masculis & feminis, de jure omnes veniunt simultaneæ, sed ubi adest statutum exclusivum feminarum iste veniunt per posterius.
- 8 **D**os feminarum ex Authentica res quæ extrahenda à fideicommissio non potest excedere virilem.
- 9 **Q**uando non intret reintegratio feminarum, vel iste succedant in toto, etiam in portionibus masculorum.

DISC.

LUCA
de
amentis
beat
CVI
9

DISC. XXXVIII.

Henricus, & Franciscus seniores de Ursinis, contemplatione matrimonii donarunt Franciotto filio, ac nepoti respectivè Castrum Montis Rotundi, aliaque eorum bona pro se ejusque filiis, nepotibus & descendantibus masculis & fœminis; Cum autem ex dicto Franciotto fuissent superstites Franciscus & Henricus juniores masculi ac Isabella fœmina, ista per fratres satis congruè dotata renunciationem ad eorum favorem fecit in forma consueta; Cumque sequuto eorumdem obitu sine prole, creditores absorbuissent penè totum assem; Hinc contrà istos possidentes pretium Montis Rotundi per congregationem Baronum alienati, & in quod ad formam Bullæ Baronum omnes hypothecæ omniaque vincula translata erant, dicta Isabella superstitis judicium instituit tanquam vocata ad fideicommissum in præfata donatione contentum, Et introducta causa in *Rota coram Verospio*, datoque dubio an constaret de fideicommissio ad ejus favorem sub die 21 Junii 1652. affirmativa prodiit resolutio confirmata 20 Martii 1653. quarum *decis. prima* habetur impressa *decis. 283. par. 11. recent.* Undè propterea creditores prædicti, istis resolutionibus acquiescentes, convolarunt ad aliud motivum Bullæ Baronum, sed in illo pariter succubuerunt sub die 8 Junii 1654. ex deductis in hac eadem causa sub *tit. de feudis ad materiam dicta Bulla disc. 84.* Demum verò recurrendo ad motivum renunciationis, in illo accerrimè per plures instantias disputato obtinuerunt, juxta ea quæ in hac pariter causa habentur in sua materia sub *tit. de renunciationibus.*

Quatenus igitur pertinet ad dictas primas disputationes habitas super fideicommissio, aliqui ex scribentibus pro hac eadem parte creditorum, assumere voluerunt disputationem quæstionis, an fideicommissum ordinari possit per contractum, plures pro negativa cumulando auctoritates, ac rationes, sed meritò istud motivum in prima solum decisione enunciatum rejectum fuit ut dicta *decis. 283. par. 11. num. 1.* quoniam ut super hoc puncto particulariter habetur infra in *Senen. de Tantucciis disc. 141.* in foro fabulæ species videtur istam quæstionem hodiè assumere: nisi contingat causam disputari coram iudicibus qui scholarum species solum retinentes, cum scholasticis terminis & quæstionibus, *Fachinei* & similibus, non reflectentes ad circumstantias facti, vel ad ea, quæ forus magis recepit, causas decidere volunt, ut quandoque practicamus.

Deductum etiam fuit ex hac parte contrà actricem antiquius fideicommissum Octavii, quod nullam habuit inspectionem juris, nisi illam, quod ordinatum esset ad favorem legitimorum & naturalium, sub quorum genere dicebatur actricem non comprehendi utpotè ex radice infecta dicti Franciotti legitimi; Verùm in dicta prima decisione de facili rejicitur motivum ob amplissimam legitimationem dicti Franciotti concessam per *Gregorium XIII.* absque aliqua restrictiva, & cum habilitatione succedendi, nedum in fideicommissis sed in feudis, & bonis emphyteuticis etiam ecclesiasticis, quo casu nulla cadit difficultas, cum non dubitetur, hujusmodi defectum utpotè juris positivi, à supremo Principe, præsertim verò à Summo Pontifice posse in totum sanari, atque illegitimum ità in omnibus exæquari verè legitimis; Controversia enim in hac materia cadit, vel ratione vo-

luntatis, ubi legitimitio concessa ab eodem Principe contineat clausulam, sine præjudicio veniens ab intestato, seu aliàs restrictivas, unde dubitatur sit, an sit potius dispensatio ad certos casus factus, quam vera legitimitio; Vel ratione potestatis, ubi conceditur ab inferioribus habentibus cultatem legitimandi ex privilegio ob confirmationes *Pii IV. & Pii V.* cum similibus, ex his, quæ habentur in *Bonon. fideicommissi de Nascementiis, & in aliorum non. fideicommissi de Victorii disc. 68. & 69. & alius.*

Cumque dicta donatio, agendo de familia consereret legem, dummodo nuberent in familia de Ursinis, qua circumstantia carebat actrix, ex viro diversæ familiæ, ex quo duas filias suscepit, Hinc objiciebamus ego & ceteri pro parte scribentes, illam non esse de genere vocalivè non habere qualitatem habilitativam ad succedendum, atque super hoc in prima disputatione certatum fuit super puncto, An si nuptiæ adjectæ essent pro conditione vel pro modo cum primo casu actor petens successionem tenetur docere de implemento tanquam de purificatione conditionis suspensivæ illum habilitantis, & conditionis purificatione repellit ab assequendo, nec sequatur; In secundo autem casu non impedit assequutionem, sed solum obligat ex parte facti ad implementum sub pena caducitatis juris quæ ad quem effectum requiritur dolus seu malicia culpa positiva redolens delictum productivum nã juxta distinctionem, de qua habetur supra actum infra in *Neapolitana heredit. disc. 174. & in cisionibus in ea causa editis, & in aliis; Rota* fuit in sensu, quod in hac facti specie veritas magis in hac secunda parte, quam in prima, consequenter quod id non repelleret actricem assequendo, cum ei sufficeret dicere se esse paratam id adimplere ac ducere virum de familia, quæ congrua occasio præbebit, Atque mihi restet ad veritatem, quamvis more Advocati actricem contrarium scriberem, justa, & probabilis resolutio, adeo ut in hac secunda disputatione motivum neglectum fuerit illud non replicando.

Institutebam propterea in dicta secunda disputatione magis in eo, quod adrix aliquid pretendere non posset, nisi tertiam partem jusmodi honorum, & sic in ea portione qua successisset, si fuisset masculus, ita reintegrando, defectus masculis, qui eam exheredaverunt, tanquam ex cessante causa, juxta ea quæ habemus in materia reintegrationis fœminarum ad portiones, à quibus in vim hereditatis per masculos exclusæ fuerunt apud *Baron. disc. 851. 872. & 930. apud Roias decis. 316. & alius.*

Cum enim vocatis masculis ac fœminis, communis dispositione attenda, omnes partem ter ac simultaneæ venire debeant, juxta ordinem intestatæ successionis, talique ordo pervertatur hujusmodi statuta inducta in favorem masculorum ac in odium fœminarum, ut scilicet istarum portio censeatur successiva & subsidiaria post defectum masculos ex deductis per *Menoch. conf. 359. nu. 11. & conf. 585. nu. 35. Peregr. art. 27. num. 23. Fofar. conf. 311. & 379. num. 23.* Hinc proinde dicebam, quod hæc suspensio aliud operari non debeat nisi ad reintegrationem, non autem facultatem succedendi masculis in eorum propriis portionibus, cum ità hujusmodi statuta diversimodè operarentur.

atque, ad quem inducta sunt, quoniam retorque-
rent in odium masculorum, illos gravando in
propriis portionibus, atque deferrent feminis ma-
jus emolumentum, quam obtinere debuissent, si
statuta non adessent, vel ipsæ masculi fuissent, quod
utique est absurdum.

Ut in proposito habetur deductum in Romana de
Capranica sub titulo de dote discurs. 35. & in decisio-
nibus in ea causa editis coram Roias, quod scilicet
quamvis femina ex beneficio Auth. res que Cod.
commun. de legatis, concedatur jus obtinendi sub-
sidiariam congruam dotem ex bonis fideicommissi,
Attamen si quantitas bonorum ac numerus persona-
rum facta repartitione non patiantur detractionem
illius dotis, que attento more regionis & qualitate
personarum esse congrua, aliud pretendere non
potest, nisi quantum importaret ejus portio, si fuisset
masculus. ne detur absurdum, ut sexus femi-
ninus exclusus ac minus dilectus melioris esset con-
ditionis, quam masculinus vocatus ac prædilectus;
Ponderando etiam, quod apud Eufar. alios referen-
tem d. quasi. 379. ac etiam q. 311. in proposito ex-
clusionis feminarum sive istius ordinis per prius &
per posterius, etiam in fideicommissariis successio-
nibus ob hujusmodi statuta feminarum exclusiva,
proceditur cum terminis successione ab intestato,
quibus attentis mulier aliud pretendere non potest
nisi id quod sibi per statutum ablatum fuit, ut pon-
deratur apud Burat. d. decis. 930 num. 13. Uade prop-
terea tunc in defensionis causæ, ac ætatis ardore,
sicuti credebam motivum verum & solidum, ita
parum probabilem credidi resolutionem deferen-
tem integram successione jure cujusdam reci-
proca.

Verum deinde maturius reflectendo ad verita-
tem, justam censui resolutionem, quodque dicta fe-
mina, vel nihil pretendere posset, vel totum obti-
nere deberet; Nihil scilicet, quando vocatio non
haberet tractum successivum, neque contineret ex-
pressam vocationem masculinam & femininam,
sed solum vocaret genus utriusque sexus complexi-
vum, puta filios vel conjunctos &c. Tunc enim uni-
ca est successio unico tempore seu momento effe-
ctum foriendi tanquam per speciem successione
ab intestato, dum non adest ulterior substitutio-
nis progressus, & consequenter ubi statuta sunt
simpliciter exclusiva, femina simpliciter exclusa
perpetuo remanet talis, neque cessantibus masculi-
lis reintegratur, nisi ubi statuta non simpliciter sed
temporaliter tantum excludunt, ut est Statutum Pe-
rusinum de quo agunt dictæ decisiones coram Burat-
to & Roias, quoniam regula textus in cap. cum cessan-
te, ut cessante causa cesset effectus, non intrat, quan-
do effectus est jam consummatus, ut in sua materia
sub tit. de success. ab intest.

Ubi verò agitur de fideicommissio successivo, ex-
pressam continere vocationem tam masculinam
quam femininam, tunc inesse videtur vocatio to-
tius descendentiæ tam masculinæ quam femininæ
cum dicto ordine prælationis, tanquam per reci-
procam ita in omnibus simpliciter inductam, juxta
firmata in hujus causæ decisionibus, Et hic erat ca-
sus, cum vocatio esset omnium filiorum, nepotum,
& descendentium cum expressa vocatione tam ma-
sculinam quam femininam per speciem fideicom-
missi successivi ac reciproci. Verum renunciatio in-
anes reddidit istas questiones ac decisiones, ut
in hac eadem causa sub dicto tit. de

Renunciatio.

Carolin. de Luca de Fideicommissis.

BONONIEN. DONATIONIS

PRO

HOSPITALI PAUPERUM MEN-
DICANTIUM BONONIÆ.

CFM

VIRGINIA DE FURLANIS.

Responsum pro veritate.

De eadem materia concursus feminarum,
Et quando masculinum concipiat femi-
ninum, nec ne; Et in specie an vocatis fi-
liis nascituris, veniant feminae, si ex fi-
liis jam natis, vocati sunt solum masculi,
feminae verò neglectæ, An ex hoc resul-
tet argumentum, ut masculinum non
concipiat femininum. Et quid in disposi-
tione inter vivos.

SUMMARIVM.

- 1 **F**Acti Series.
- 2 In ultimis voluntatibus regula est, quod mas-
culinum concipiat femininum.
- 3 Etiam si sint feminae noniales, & fideicommissum sit
agnatitium.
- 4 Quod non procedat in dispositionibus per contractum.
- 5 Reprobatur hæc restrictio, ac declaratur quando ea
procedat.
- 6 In donationibus contemplatione matrimonii, ubi filii
veniunt uti filii, veniunt tam masculi, quam fe-
minæ.
- 7 Regula, de qua num. 2. limitatur ex contrariis con-
jecturis.
- 8 Enumerantur aliqua conjectura, & prima, ubi femi-
nae nate, & cognita spernuntur.
- 9 De verbo aliis, vel clau. ulis, & verbis denotantibus
similitudinem, vel repetitionem.
- 10 De aliis conjecturis.
- 11 Declaratur quando spectus feminarum, que sunt
nate, & cognita inducat nec ne conjecturam, quo-
ad feminas nascituras.
- 12 Quod absurda, & inconvenientia non curentur.
- 13 Quando femina nascitura veniant sub nomine fi-
liorum.

DISC. XXXVIII.

Bernardinus de Furlanis donavit Sebastiano ex
Dominico fratre nepoti, ac aliis ex eodem Do-
minico nascituris bona controversa cum fideicom-
missio reciproca in portione morientis absque filiis,
eisque omnibus deficientibus, vocavit ipsum si su-
perviveret, sin minus Liviam ejusdem Dominici
filiam jam natam, qua non extante vocavit Albertum
alterum ipsius donatoris fratrem; Cumque dicto
Sebastiano prædecessissent, tam Dominicus pater,
quàm

I